

mus tibi? Ioan. 6. num. 30. Et tamen signa, quae Iudaei negabant inuitè ipsi fatentur: *Hic homo multa facit signa.* Valdè inconstans est impietas, contra semetipsum loquitur, & fatetur, signa, quae negabat iniquitas Iudaeorum, eadem signa nunc attestatur. Sicque Iudaei assecclas Christo negabant dicentes: *Numquid ex principibus aliquis credit in eum?* Ioan. 7. n. 48. Et tamen multo plures habere ipsi ei tribuunt, dicentes: *Ecce totus mundus post eum abiit,* Ioan. 12. num. 19. Ecce maligni Iudaei, qui nullum ei assecclam dabant, iam multos concedunt; & qui discipulos, quos habebat, ut Nicodemum Nathanaëlem, qui erant ex principibus, negabant iam eos, quos non habet, tribuunt. Sic semper inconstantes, ac sibi met ipsis repugnantes sunt impij.

Videns Esau fratrem suum Iacob paterna benedictione ditatum ait: *Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me, in altera vice, primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam,* Gen. 27. num. 36. In quibus verbis, ut rectè notat Abulens. mentitur, & falsum dicit Esau: *Quia Iacob non abstulit primogenita, sed ipse gratis vendidit,* Gen. 25. n. 34. *Iacob autem iustum redemit.* Fatetur Esau ex venditione facta primogenita iam pertinere ad Iacob, tamen conqueritur, quod ipse abstulerit benedictionem suam, cum tamen benedictio esset connexa cum primogenitura, & communiter fatentur Abulens. Pereira, Ioan. de la Haye, quae ad maiorem filium spectabant, si ergo maioratus delatus est iam ad Iacob, etiam ad ipsum translata est benedictio. Esau sibi non est constans, sed valdè repugnans, fatetur primogenituram esse iam Iacob, denegat tamen illi benedictionem, in qua decus, ac nobilitas primogenitura consistebat. Vide supra c. 14. n. 48. & cap. 17. n. 104. & c. 3. n. 74. tom. 4. cap. 15. q. 1. n. 9. 10. & 11.

QVÆSTIO V.

Quare Pharisei, & Pontifices in concilio contra Christum arguant, quod multa signa facit?

21. Origenes.

RESPONDET primò Origenes in præsentibus: *Licet ex his, ait, quae Pontifices, ac Pharisei dixerunt considerare illorum apertam malitiam, & cecitatem: apertam quidem, quoniam attestabantur illi, eum multa fecisse signa, postquam huic, qui tot signa egerat, insidias strui, perinde quasi sui causa nihil posset contra factas sibi insidias: id, quod ipsum etiam nihilominus cecitatis erat, cum eiusdem esset, qui multa fecisset miracula, insidias etiam superare nolentium sic dimittere.* Nulla potuit esse maior malitia, & cecitas, quam ea, quae in hoc concilio viget; fatentur planè consiliarij, quod hic homo multa signa facit; & consequenter fatentur in eo magnam potestatem ad huiusmodi signa faciendam, & si ipse tantum immineret, ut vincula mortis soluar, etiam inimicorum suorum insidias dissoluet, ac destruet. Pontifices, ac Pharisei, quamuis aliàs sapientes existimarentur, ita caeci, ac insipientes inuidiæ malo facti sunt, ut videntes Christi magnalia, ipsa non intelligant, & cognoscant, sed penitus ignorent, existimantes se posse contra illa stare.

22.

In deserto accedit Diabolus ad Christum ten-

tando, ut possit eius diuinitatem inuestigare: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant,* Matth. 4. num. 3. Et iterum: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Nuper Diabolus in Iordane vidit caelos Christo apertos mira luce fulgentes: perspexit Spiritum sanctum sub Columbae specie super eum venientem: audiuit Patris vocem: *Hic est filius meus dilectus: in quo mihi complacui,* Matth. 3. num. 17. Quid clarius? quid apertius? & tamen adhuc Diabolus, aliàs subtilissimus, & valde perspicax ambiguus hæret. D. Basilii Seleuc. orat. 23. *Hanc, ait, produit ignorantiam Diabolus, dum in Iordane res geritur. Cum enim audisset laram de Cælo vocem: Hic est filius meus dilectus, ei per ignorantiam dicebat: Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Clamat Dei Patris vox, cæli aperti, & Spiritus sanctus descendens demonstrant Filium Dei, & tamen adeo pertinax est Diabolus inuidiæ malitia, ut ex tantis signis, ac prodigijs, non fidem extorqueat, sed ignorantiam negotietur; nec sibi, nec suis oculis, nec suis auribus credit, ne Christi excellentiam credat; sed eam sic ambit ignorare, ut sibi persuadeat se posse contra illum stare, eiusque maiestatem tentando infuscare.

Secundò. D. Basil. Seleucus orat. 31. *Paralyticus solidabatur, oculi cæco respiciebantur, mortuus ob illatam inferno cladem gestiebat, & medicus in crimen vocatur.* O summa ingratitude, o extrema dementia, beneficijs cumulatur, & contra suum benefactorem armantur, beneficijs non emollitur animus, sed potius magis ira, ac odio inardescit, ut nouas insidias machinetur. D. Athanasius serm. de semente: *Quid enim deterius, ait, quam beneficium accipere, & insidiari.* Extremum scelus est bonis mala rependere. Vide cap. 12. n. 74. 75. 76. & 77. cap. 17. n. 105. 106. & 107. & cap. 31. n. 72. & 73.

Tertiò. Theophylact. *Decebat, ait, admirari, & extollere eum, qui talia peragebat miracula: ipsi vero potius consiliantur illum occidere.* Crudelis hominum impietas! ex beneficijs eliciunt, ac arripiunt occasionem insurgendi in suum benefactorem, quod non solum est crudelitas, & impietas, sed etiam extrema insania, ac fatuitas. Multa obsequia præstitit Dauid Saül; republicam à Philisthæo liberauit, eique vitam concessit, cum posset in spelunca latenter illum occidere, & cum posthæc adhuc Saül persequeretur Dauidem, accidit, ut nocturno tempore Dauid ingressus esset regis tentorium, quem cum dormientem reperisset, scyphum aquæ, & lanceam ad caput lectuli positam deculit, quibus à longè monstratis, vitam illi dedisse, comprobatur. Cui respondet Saül 1. Reg. 26. n. 21. *Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Apparet enim, quod stultè egerim, & ignorauerim: multa nimis. Hebræus vltima verba sic transfert: *Ecce insani, & erravi multum valdè.* Merito ait: *Insani, nam agnitis beneficijs, velle adhuc inferre mala benefactori, insania est, & multus error: Ecce insani, & erravi multum valdè.* Caiet. *Recordatus Saül, quod alias simile beneficium receperat à Davide, fatetur non solum se errasse, sed etiam insaniisse multum valdè persequendo Dauidem.*

Ioan. 1. n. 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent

Math. 4.

Math. 3. Apertam excellentiam Diabolus intendit infuscare. Basil. Sel.

23. Basil. Sel. Beneficium in crimen vertere extremum malum.

24. Theophyl.

Insania est, quod quis contra beneficium armetur.

1. Reg. 26.

Hebræus.

Caietan.

lent nostrum locum, & Gentem.

VERSIONES.

- Syriacus.** Quod si ita sinamus eum, omnes homines credent in eum.
- Vatabl. Orig.** Si permiserimus eum sic, omnes credent in eum.
- Euthymius.** Si reliquerimus eum sic.
- D. Augustin.** Omne sæculum ibit ad eum, & venient Romani, & tollent à nobis locum nostrum, & regnum.
- Arabicus.** Et venient Romani, & capient, seu deuastabunt nostrum locum, & Gentem.
- Græc. apud Cornel.** Et venient Romani, & debellabunt nostrum locum, & Gentem.

EXPOSITIO II.

25. Syriacus. Vatabl. Alb. Magn.



Si dimittimus eum. Syriacus: *Si ita sinamus eum.* Vatabl. *Si permiserimus eum.* Dicunt, Sic: ait Albertus Magnus, *miraculando, signa, & miracula faciendo, ut capiat absque eo: quod nos impediamus eius miracula.* O stulta, & cæca hominum impietas, ex professo læ accingunt ad opprimendam Dei virtutem, & gloriam, quæ in Christi miraculis relucebant, quasi Deo possint superiores fieri. Dicunt, *Si dimittimus eum sic, ut ait Carthusianus, multa inconuenientia sequuntur: Omnes credent in eum.* Et agnoscent ipsum verum regem, ac Patribus promissum. Perpende excellentiam virtutis Christi, nefarij consiliarij armantur in concilio contra Christum, & tamen fatentur tam efficacia esse signa Christi, ut omnes trahant ad credendum in eum, aduersus seipos sunt testes veritatis inuiti consiliarij: omnes, dicunt, credent, etiam obstinati, ac obdurati, & tamen isti Consiliarij, odio, inuidia, ac proprio lucro obstinatis obstentiores erant, ut in Christum credere nollent.

26.

Rupertus.

Chrysof. Leon. August.

Arabicus. Syriacus.

Albert.

Carthuf. Hugo. Sacerdos eum habent de templo.

Venient Romani. Cum exercitu, ac potestate magna, sub cuius dominio erat tunc gens Iudæa. Rupertus: *Si ergo quisquam apud nos præter Cæsarem, Rex nominatus fuerit, vindices Romani venient.* Prohibuit enim Senatus Romanus, ac Cæsar, ut notant D. Chrysofom. D. Cyrill. Leon. D. Augustinus, quod nulla gens sibi regem, vel Deum constitueret sine ipsorum auctoritate: *Et tollent locum nostrum.* Arabicus, *debellabunt.* Græcus, *capient, vel deuastabunt locum nostrum, ut explicat D. August. tract. 49. in Ioan. Expugnando, vel transferendo locum nostrum.* Ut ait Albert. Magn. in poenam præsumptionis nostræ. Per locum nostrum intelligunt, ut inquit Carthusianus, & Hugo, Urbem Ierusalem, templum, reliquasque vrbes, viculósque Iudææ. Et per locum nostrum bene intelligitur templum, quod est proprius locus hominis, ac proinde si ipsum

destruatur, nullus relinquitur locus, in quo homo sit, & isti apparenter se ostendunt Pontifices, ac Antistites, qui maximè de templo solliciti se exhibebant. *Et Gentem nostram;* Iudaicam scilicet perdent, & aliò transferent.

QVÆSTIO VI.

Quare Pharisei, & Pontifices multum timidos se ostendunt in Concilio, si Christum dimittant?

SVMMA deliberationis totius concilij extitit consideratio, seu imaginatio periculi reipublicæ, quod sequebatur ex signis Christi, & si populus in eum crederet. Cum potius signa Christi essent perpendenda; an fierent virtute diuina, an consentanea vaticinijs Prophetarum, quibus ostenderetur Christum esse verum Messiam promissum, si enim ad hæc rectè attenderet, aperitissimè, ac clarissimè cognoscerent Iesum esse verum Filium Dei, verumque Messiam in lege promissum, sed ira, odio, ac inuidia obæcati, hæc non considerant, sed omni nixu, ac viribus intendunt obfistere, ne populus Christum adoret, ac in eum credat, & ad hoc perlegendum velamen prætexunt, quo fingunt se metuere aduentum Romanorum, excidiumque vrbs, & gentis propter Iesum, cum reuera non ita sentirent, nec animo iudicarent. Ut docent D. Cyrill. D. Chrysofom. Euthym. Theophylactus, & alij, qui docent Phariseos hunc timorem fictitie exhibuisse. Rationem ergo huius ficti timoris quæstio præfens inquirunt.

Respondet primò Caiet. *Verè cæci erant isti Consiliarij, quoniam si Deus miraculosis signis ducet omnes ad Iesum ut Messiam, ipsemet Deus proteget à Romanis, & ab omnibus, præcipue quia ipsi expectabant Messiam secundum regnum mundi huius, quem adoraturi erant omnes reges terra, & redacturum uniuersum Israël de captiuitate, & dispersione.* Et postquam sic rectè arguit eorum timorem, rectè ad nostram quæstionem responderet: *Excacauit illos malitia eorum, ac amor propria auctoritatis, quam sciebant se non habituros sub Messia rege iustissimo, conscientia namque propria testificabatur ipsimet, quod perdituri erant locum auctoritatis suæ, si omnes crederent in Iesum iustum.* Timebant Pontifices non republicam, ac Romanos, sed seipos, sciebant enim Messiam esse regem iustum, & iustitiæ, ac proinde non permetteret eos tam iniquos, & deprauatos in suo munere, & ministerio. Conscientia namque propria testificabatur ipsis, quod perdituri erant locum auctoritatis suæ.

Secundò. Valdè mirum Dicunt Senatores in Concilio: *Hic homo multa signa facit, & tamen statim contra eum conspirant ad mortem, Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & Gentem, iterum: Expedit vobis ut vnus homo moriatur pro populo.* Quomodo hæc compatiuntur? omnes eum approbant intellectu, multa signa facit, reprobat tamen voluntate, eum dicunt: *Si dimittimus eum sic, &c. Et ab illo die cogitauerunt, ut interficerent eum; sic sæpe contingit, ut aliquis intellectu etiam inuitus ob tua illustria facta tibi annuat, sed ira, odio, & inuidia contra te omni affectu armatur. Pilatus Christum intellectu approbat, eius enim innocentiam agnoscit,*

27.

Cytil. Chrysof. Euthym. Theophyl.

28.

Caietan.

Seipos Consiliarij arguebant.

19.

Intellectu approbant, voluntate reprobat.

